

stodiam deputabuntur supplebit Caesarea Maiestas de proprio et in fine termini impletis praedictis ut prefertur restituentur liberae ipsi duci huiusmodi civitas et arces cum artellariis, machinis, tormentis, et munitionibus aliisque mobilibus, ad ipsa castra et loca spectantibus et pertinentibus, exceptis his quae ex Germania adducta fuere et quae a Gallis bello parta sunt, quae suae Caesariae Maiestati reserventur.

Item quod reliquae solutiones pecuniarum quae ex dicta prima conventionione ultra primum terminum praedictum fieri debebunt, quae ad summam aliorum ducatorum quingentorum millium ascendant, non incipiatur curere nisi lapso dicto anno 1530 et deinceps solvantur ad rationem quingentorum millium ducatorum, quolibet anno cum securitatibus mercatorum seu camporum ad id sufficientium in initio cuiuslibet anno praestandis iuxta ipsius primae conventionis formam usque integram solutionem summae ibidem promissae.

Item ut futuris quae imminet periculis occurratur quantum fieri possit si, quod Deus avertat, ipse illustris dux qui nondum pristinam sanitatem hactenus recuperare potuit nondumque uxoratus extitit ab hoc saeculo sine legitima sobole succedenti migraret ut eo casu novis tumultibus et bellis occasio sic praebatur, nec Caesar ac sacrum imperium pro iure et dominio frustrari possent, teneantur omnes praefecti artium et civitatum qui nunc aut in posterum per dictum illustrem ducem Franciscum in dicto statu Mediolani deputati sunt aut deputabuntur primo et ante omnia debeant homagium et fidelitatis iuramentum praestare ac sub iuramento praedicto promittere quod adveniente dicto casu mortis ipsius illustris ducis Francisci sine legitima sobole nemini alii tradent, consignabunt aut remittent huiusmodi civitates, arces et castra quibus praefecti essent, nisi ipsi Caesariae Maiestati seu eius in sacro imperio successoribus, eo tamen acto quod si tempore ipsius mortis pro implemento solutionum praedictarum et pro debitis ea ratione contractis essent aliqui redditus dictis status consignati, obligati seu hypothecati aliquibus mercatoribus seu aliis quibusvis creditoribus, remaneant huiusmodi consignationes et obligationes firmas et validas nec admittatur quivis novus successor ad investituram aut ademptionem dicti status nisi cum onere praedicti conservandi et implendi dictas consignationes et obligationes ea ratione factas et usque ad integram solutionem debitorum propterea contractorum, ut hac spe freti non detractentur mer-

catores interim subvenire eidem illustri duci Francisco ad praemissorum omnium implementum.

Item quod ipsius status Mediolani quiete et tranquillitate et ne propter extorres nova dissidia novique tumultus et bellorum motus excogitare queatur, ac in observantiam foederis initi et percussi inter ipsum Caesarem et Christianissimum francorum regem actum extitit, quod omnes dicti ab initio bellorum in ipso statu agitatorum et a tempore expulsionis illustris ducis Ludovici Sfortiae eiusdem ducis Francisci patris pro rebellibus hinc inde habiti fuere, quaecumque partem secuti sint et cuiuscumque conditionis et qualitatis extiterint seu existant, plenam quoad haec indulgentiam et veniam consequantur ac ad patriam, famam, honores et bona eorum propria paterna aut haereditaria quae per eos eorumque parentes et praedecessores tempore expulsionis dicti illustris Ludovici Sfortiae possidebantur, seu quae ad eos iure legitimo pertinerent, eisdem et cuilibet ipsorum libero et integre relaxentur et restituantur quovis illicito detentore remoto omnique contradictione cessante quibuscumque occasionibus, inquisitionibus, processibus, sententiis, condemnationibus, confiscationibus et ac executionibus contra eos aut quaecumque ipsorum propterea factis aut forsitan ante huiusmodi indulti publicationem fiendis ex nunc prout ex tunc abolit, cancellatis et annullatis, etsi in praemissorum liquidatione aut forsitan ob novas causas civiles seu criminales litem seu lites offeri contingant in quibus iudicium ordinarium forsitan suspectum allegari contingat ab his potissime qui contra ipsum illustrem ducem Franciscum hactenus militaverunt in eum casum a suspitione in forma iuris proposita et ex causis legitimis fundata admittantur adjuncti non suspectis, sine quibus talis lis per iudices ordinarios terminari nequeat, verum cum ipsis adjunctis debitum iustitiae complementum quanto celerius fieri poterit ministretur.

Item quia multi ex magnatibus, militibus et subditis dicti status Mediolani comites, barones, nobiles cives mercatores et alii diversorum statuum nec non etiam quam plures exteri tam hispani quam germani flamengi et burgundi et etiam itali, tam sacri imperii vassali quam alii ipsius Caesaris regnorum subditi diversimode servierunt eidem Caesareae Maiestati, tam in acquisitione dicti status Mediolani ipsiusque ereptione et recuperatione a faucibus gallorum, quam etiam in ipsius status conservatione et tuitione qui propterea non ab re indigna remunerationem et retributionem prome-